

nostri non est arbitrarii, ut illud majus vel minus, hujus vel illius coloris videamus. Idem patet quoad tactum & gustum. Quapropter si molestam aut periculosam sensationem impedire velimus, oportet ut organum sensorium ab objecto avertamus, aut ejusdem objecti actionem in organum impediamus quocumque modo, V. G. aversis vel clausis oculis. Si vero neutrum sit in nostra potestate, tum sensationem illam, excitata in nobis alia fortiori & minime periculosa perceptione, debilitamus, & frangimus; ita fortioris perceptionem odorum luffitu fugamus. Sensatio enim fortior debiliorem ita nonnumquam obscurat, ut hujus vel nihil vel parum nobis conscientiam simus.

Ex hac generali sensationum lege colliguntur plurimæ regulæ . . . . 1 Si mutatio in eodem organo sensorio eadem est, sensatio quoque in anima eadem esse debet . . . . 2 Si contingat a diversis objectis sensibilibus eandem in eodem organo sensorio mutationem produci, objecta eadem apparere debent . . . . 3 Si mutatio in organo sensorio diversa est, sensatio quoque in anima diversa esse debet . . . . 4 Hinc si contingat idem objectum diversam in eodem organo mutationem efficere, diversum quoque apparere debet objectum. Haec regulæ continent rationes generales cum sensus, quæ diversa sunt sœpe repreäsentent eadem & contra, ideoque fallant seu efficient, ut aliquid appareat, quod non est. Ex his etiam fluunt generalia visionis explicandæ principia, & opticarum deceptiōnum fundamenta; sed de his in *Phyfica*.

Objic.